des

Gymnasium Bernhardinum

in

Meiningen

zu

der öffentlichen Prüfung,

welche am 29. und 30. März,

und

zu der Schulfeierlichkeit,

welche am 31. März 1855 zum Schlusse des Schuljahres

im großen Hörsaale stattfinden wird.

Meiningen, 1855.

Gedruckt in der Keyßner'schen Hofbuchdruckerei.

Gorg. 480 E. *Τοὐναντίον δέ γε αὖ* seqq. Hic locus interiectis verbis *ἐὰν μόνον μὴ — εὐλαβητέον* mirum quantum impeditur. Ac mihi quidem Plato hoc dicere videtur. In antecedentibus Socrates tantum abesse demonstravit, ut poena malum sit, ut summo opere expetenda esse videatur, quippe quae animos scelere liberet: stulti igitur esse hominis poenam effugere velle, potius id agendum esse, ut et ipse poenam suscipias et amicis idem persuadeas. Progreditur iam ad ea, quae inde necessaria consecutione efficiantur. Quodsi bonum est inquit poena, inimicum et quemcunque malo afficere volueris a poena quantum poteris immunem praestes necesse est, qua re fiet, ut ille semper sceleris conscientia constrictus teneatur. In hac tamen re (*ἐὰν μόνον μὴ* et q. s.) cavendum erit, ne ipse ab illo laedaris: nam si ille contra te ipsum peccaverit, non poteris eum non in iudicium vocare. Si autem contra alium, non solum non accusabis eum, sed etiam ipse quantum in te est curabis ne accusetur. Quoniam enim scelere perpetrato poenam non luere malum est, vis quidem tibi illata vi repellenda est: in universum autem quo diutius inimicum poena liberaveris, eo graviore malo eum afficies. Quae sententia optime congruit et cum iis, quae ante dicta sunt, et cum iis, quae mox adduntur. Miretur aliquis, qui fieri possit, ut Socrates, quem omnino neminem iniuria vel malo afficiendum esse saepe docere constet, iam quomodo inimico maxime nocere possis docere videatur. At primum Socrates haec non ita disputat, ut discipulos haec praecepta in agendo sequi velit, sed id agit, ut postquam utilitatem poenae in amicis demonstravit non dissimilem in inimicis rationem esse exponat. Sic demum abunde satisfactum esse huic toti quaestioni videbatur. Deinde quinam illi sint, contra quos Socrates disputet, considerandum erit. Etenim

quoniam quid de arte oratoria sophistarum sentiret volebat aperire, omnes eas vitae conditiones persequeretur necesse erat, in quibus illos illa arte maxime uti constaret. Postquam igitur hoc demonstravit, artis oratoriae nec ad suam nec ad amicorum defensionem, id quod illi iactare solebant, ullum esse usum (sapientis enim esse poenam tanquam salutare aliquid non fugere sed appetere), restabat, ut ne ad accusandos inimicos quidem, quae altera erat sophistarum gloriatio, artem oratoriam utilem esse ostenderet. Oratione igitur ad opinionem illorum accomodata quomodo inimico maxime nocere possis quaerit idque non accusando sed contrario effici comprobat.

Gorg. 499 B. *ὡς δὴ σὺ οἴει ἐμὲ ἤ καὶ ἄλλον* seqq. Ficinus et hoc loco et paulo supra Gorg. 468 *ὡς δὴ σὺ ὦ Σώκρατες* seqq. vocabula *ὡς δὴ* latine interpretatus est quasi vero. Cui interpretationi Stallbaumius assentitur. Neque dubium cuiquam esse poterit, quin similis utriusque loci sententia sit et fere ea, quam Ficinus indicavit. Priore enim loco Calliclem hoc dicere apparet, se nunquam adductum iri, ut Socratem quod is credere se simulet revera credere sibi persuadeat. Eodem modo Polus illo, quem posteriorem posui, Gorgiae loco hoc agit, ut Socratem argumento ad hominem quod logici dicunt refutet. Postquam enim hic impotentiam eorum reprehendit, qui multum in re publica valere sibi videantur, Polus se credere negat, Socratem ipsum potentiam forte sibi oblatam repudiaturum esse. Neque alia videtur scholiastae opinio fuisse, qui haec ad hunc locum adnotavit: *τὸν ἐπιστήμονα ὡς δοκεῖ εἰς ἀντίφασιν περιάγων.* Etiam G. Hermannus locum Aeschyli, et eum quidem gravissimum ad diiudicandam harum particularum vim Ag. 1602 *ὡς δὴ σύ μοι τύραννος Ἀργείων ἔσει,* sic reddidit: 'tu scilicet mihi rex Argivorum eris.' Iam vero quae propria sit harum vocularum vis quaeritur. Atque mihi quidem sic videtur res se habere. Ea enuntiata, quibus particulae *ὡς δὴ* praeposita sint, censeo vel cum antecedente enuntiato vel cum sequente ita iungenda esse, ut *ὡς δὴ* quum scilicet significare atque enuntiati tum subsequentis tum praecedentis rationem, sed eam ironicam non veram, subiicere tibi persuadeas. Videamus iam, an haec huius locutionis explicatio singulis locis confirmari posse videatur. Et apud Aeschylum quidem Aegisthus senes ob superbiam obiurgaverat eosque mox obedientiores fore adfirmaverat: v. 1601 *κρατηθεὶς δ' ἡμερώτερος φανεῖ.* Quodsi senes hanc Aegisthi orationem verbis *ὡς δὴ* excipiunt et quasi continuant, nihil aliud dicunt quam hoc: Recte tu quidem nos obedientiores fore putas, quia tu scilicet rex Argivorum eris. Simulantes igitur se dicta Aegisthi comprobare velle ironica quadam ratione allata redarguunt: nunquam enim Aegisthum regno potiturum esse putant. Neque minus haec explicandi ratio in duos Platonicos illos locos quadrat. Pag. 499 enim sic intelligenda est: Arripis id, quod tibi conceditur, quia scilicet credis, me aut quempiam alium non discernere inter voluptates. Atque simili modo pag. 469 Polus id, quod Socrates dixerat, potentes non semper id agere quod velint confirmare se simulat. Itaque id quod

Socrates affirmaverat verum esse vel eo argumento intelligi posse ait, quod quin Socrates ipse oblatam forte fortuna potentiam repudiaturus sit nemo unus dubitare possit. Vides igitur, si sententiam spectes, *ὡς δὴ* fere idem significare quod quasi vero, proprie autem esse quum scilicet, quia nimirum. Quodsi iis locis, de quibus disputavimus, illa quam ferunt esset harum particularum vis, fieri non posset, ut indicativus vel optativus cum particula *ἂν* coniunctus sequeretur, cuius optativi vis fere eadem est ac futuri. Aliter iudicandum est de iis locis, ubi *ὡς δὴ* non cum verbo finito, sed cum participio (Protag. 342 D. Phaedr. 228 C. Symp. 222 D. Theag. 123 A.) vel cum adiectivis iunctum invenitur (de Rep. 1, 337 C.). Ibi *ὡς δὴ* fere idem est quanquam paulo fortius quam simplex illud *ὡς*, quod participiis addi solet, quo res tanquam cogitata efferatur. Reliquum est ut memorabilis loci Euthyd. 293 D. mentionem faciamus, ubi *ὡς δὴ* a Ficino quia videlicet, a Schleiermachero weil nun also redditum est. Hic enim locus quasi transitum parat ad ironicum illum, de quo egimus, usum harum particularum nostramque explicationem videtur confirmare.

Protag. 327 C. *ἀλλ' οὖν αὐληταὶ γοῦν* e. q. s. Socrates quum hanc quaestionem proposuisset, qui fieret, ut tot optimorum virorum filii a virtute parentium degenerarent, Protagoras hoc modo rem sibi visus est expedire. 'Finge inquit rempublicam durare non posse, nisi omnes cives tibicines fiant: in eiusmodi civitate num optimi cuiusque tibicinis filium optimum tibicinem futurum esse existimas? Cave credas: saepe enim eveniet, ut optimi tibicinis filius artem discere nequeat, pessimi scientissime tibiis canat. Non enim generis talia sunt, sed naturae. Verum enimvero si talis reipublicae cives cum iis comparaveris, qui tibiis cantare omnino nesciunt, tibicines quidem ad unum omnes et existimandi et appellandi esse videbuntur.' Vides igitur Protagoram loqui de eo, quod non est sed tantummodo cogitatur: nusquam enim civitatem tibicinum quam ille fingit inveneris. Quae quum ita sint, sic Platonem scripsisse verisimile est: *ἀλλ' οὖν αὐληταί γ' ἂν πάντες ἦσαν ἱκανοί.* Addita enim ad imperfectum particula *ἂν* indicari constat, sermonem esse de re tali, quae nunc quidem non est, sed quae futura esset, si conditio quae nunc fingitur re vera existeret. Eadem ratio est antecedentium, ubi *καὶ πολλάκις μὲν ἀγαθοῦ αὐλητοῦ φαῦλος ἂν ἀπέβη, πολλάκις δ' ἂν φαῦλου ἀγαθὸς* dixit. Qua emendatione praeterea *γοῦν* illud deletur, quod cum particula *οὖν* copulatum habet in quo offendamus. *γὲ* autem quid sibi velit nemini potest esse obscurum. Etenim quum fictae illius rei publicae cives alios bonos alios malos tibicines evasuros dixerit, deinde eosdem comparatos cum iis, qui omnino illam artem nesciant, omnes si non bonos at tibicines quidem videri posse affirmat.

Protag. 328 C. *τῶνδε δὲ οὔπω ἄξιον τοῦτο κατηγορεῖν.* Vocabulo *τῶνδε* Stallbaumius Paralum et Xanthippum, Pericli filios, qui sermoni intererant (Protag. 314 E.) dici putat, de quorum educatione Socratem supra pag. 319 E. 320 breviter exponere

recordamur. Adductus est vir doctissimus ut hoc sibi persuaderet sine dubio ea, quae solet esse, pronominis ὅδε significatione, quod de re praesenti plerumque dici nemo est qui nesciat. Sic ut hoc utar in eodem, de quo agimus, enuntiato *Παράλου καὶ Ξανθίππου τοῦδε* dictum est. At non solum de re praesenti, sed etiam de ea re, quae modo commemorata est, vocabulo ὅδε utuntur, ut ad illam quasi relegari videamur. Documento esse potest locus eiusdem Protag. 320 E., quem Bekkerus rectissime sic emendavit: ἃ δὲ ηὖξε μεγέθει τ ῷ δ ε αὐτῷ αὐτὰ ἔσωζε. Sermo est de Epimetheo et locus cum Ficino ita reddendus: 'quae vero in molem amplam auxerat, ea ipsa mole ad salutem suam munivit'. Hoc loco τῷδε non de praesenti re dici, sed ad illud ηὖξε μεγέθει, quod paulo ante dictum est, referendum esse patet. Neque aliter eum, de quo loquimur, locum explicandum puto. *Τῶνδε* enim de filiis Polycleti dici mihi quidem persuasum est. Quodsi Paralus et Xanthippus dicerentur, intelligi vix posset, quid esset cur hi quidem excusationem iuventutis haberent, filii autem Polycleti, qui illorum aequales diserte appellarentur, eadem excusatione uti non posse iudicarentur. Contra si filios Polycleti vocabulo τῶνδε indicari putaveris, longe aliter res se habet. Tum enim sophista hos artifices, quamvis eos patris gloriam nondum aequasse concedat, aliis aliorum artificum filiis (ἄλλοι ἄλλων δημιουργῶν) ita opponere putandus erit, ut quasi excusans d e a d o l e s c e n t i b u s nondum desperandum esse adiiciat. Quae si ita explicaveris, num idem ad filios Periclis pertineat quaeri nequit. Tantum enim abest, ut de horum ingenio ac virtute hoc loco iudicium fiat, ut verba *Παράλου καὶ Ξανθίππου τοῦδε ἡλικιῶται* sophista hac sola de causa adiecisse videatur, quod horum adolescentulorum adspectu factum esset, ut Polycleti filii ei in mentem venirent, quibus deinde tanquam exemplis utitur. Neque aliter Schleiermacherus hunc locum intellexisse videtur sic interpretans: 'Denn auch des Polykleitos Soehne von gleichem Alter mit dem Paralos und Xanthippos hier sind nichts in Vergleich mit ihrem Vater; daraus aber darf man i h n e n noch keinen Vorwurf machen, sondern man muss Gutes von i h n e n hoffen, denn s i e sind jung.'

Protag. 331 E. *Κἂν πάνυ σμικρὸν ἔχῃ τὸ ὅμοιον.* Sic omnes codices, nisi quod in Bodleiano ἔχει scriptum est. Ad quam lectionem tuendam quamvis omnes libros consentire videam, tamen vereor ut ferri possit. Iam Schleiermacherus scribendum censuerat *τὸ ἀνόμοιον καὶ τὸ ὅμοιον*, quam emendationem Heindorfius in textum recipiebat. Negat enim Schleiermacherus fieri potuisse, ut Plato notionem ita necessariam omitteret, poteratque ad sententiam suam firmandam optimo uti auctore Ficino, ita locum interpretante: 'si exiguum quiddam habent simile vel dissimile'. Nihilominus novissimi editores Bekkerus C. Fr. Hermannus Turicenses ad librorum lectionem redierunt. Sed mihi accuratius consideranti totam orationem suspecta illa videtur esse. Protagoras etiam inter diversissimas res quasdem intercedere similitudines (ἁμῇ γέ πῃ) affirmaverat. Sed non recte inquit ages, si eas res, quae aliquid simile vel dissimile habent, ipsas quoque

similes vel dissimiles appellaveris — *κἂν πάνυ σμικρὸν ἔχῃ τὸ ὅμοιον.* Hoc loco aut simile non magis quam dissimile aut neutrum commemorandum fuisse facile est ad intelligendum. Itaque aut cum Ficino *τὸ ὅμοιον καὶ τὸ ἀνόμοιον* scribendum (nam quod Schleiermacherus voluerat *τὸ ἀνόμοιον καὶ τὸ ὅμοιον* non plane responderet ordini, quo sophistes antea de his rebus disputaverat), aut quae mea est sententia *τὸ ὅμοιον* delendum videtur. Omnino enim his vocabulis nequaquam egemus, quum *πάνυ σμικρὸν* ad simile aeque ac dissimile referatur. Facile autem si quaeris fieri poterat, ut hac voculae ex iis, quae sequuntur, (*ὅμοιόν τι σμικρὸν*) huc transponerentur vel explicationis quamvis non satis accuratae gratia ab aliquo adiicerentur. Nam quod Stallbaumius haec verba *οὐδὲ τὰ ἀνόμοιόν τι ἔχοντα* 'quasi obiter addita esse illustrationis causa' innuit (melius dixisset ceteroquin, ideo addita esse, ut notionis sphaera quam dicunt logici per omnes partes exponeretur): nemini persuadebit fieri potuisse, ut Plato quum semel haec verba quacunque de causa addidisset deinde in eo enuntiato, in quo omnis vis posita esset (*κἂν πάνυ σμικρὸν ἔχῃ*), se hoc fecisse oblivisceretur, praesertim quum haec verba *οὐδὲ τὰ ἀνόμοιόν τι ἔχοντα ἀνόμοια* cum illis *κἂν πάνυ* e. q. s. arctissime essent coniuncta.

Euthyd. 276 B. *οἱ ἀμαθεῖς ἄρα σοφοὶ μανθάνουσιν.* Sic e Bodleiano et Vaticano Θ restitutum. Sed quamvis optimorum librorum auctoritate hanc lectionem niti videam, tamen nescio quid scrupuli mihi restat. Quam late pateat illa quam grammatici dicunt prolepsis, quam in verbis *αὔξειν τελεῖν παιδεύειν* similibus usu venire constat, Stallbaumius ad Protag. 327 C. bene exposuit. Sed nullum adhuc fateor me locum vidisse, qui ei, de quo nos agimus, omni ex parte similis esset. Etenim lectione Bodleiani recepta duo quasi gradus aetatis humanae inter se oppositi arctissime copulantur. Atqui *ἀμαθεῖς* quum ii dici soleant, qui nec didicerunt nec coeperunt discere, vix videtur fieri posse, ut hoc nomen etiam illis detur, qui his verbis describuntur: *σοφοὶ μανθάνουσι.* Dicam quid sentiam. Non dubito, quin recte dicatur: *οἱ παῖδες μανθάνουσι σοφοί,* quum pueri non desinant pueri esse, ubi sapientiam discere coeperunt. At hoc quidem vehementer dubito, num dici possit *οἱ ἀμαθεῖς σοφοὶ μανθάνουσι,* quum tum demum *σοφὸς* vel *σοφὸς μανθάνων* fias, ubi *ἀμαθὴς* esse desieris. Vides quid mihi displiceat. Quum notiones inter se oppositae ita coniungantur, ut subiectum et praedicatum eiusdem verbi *μανθάνειν* evadant, fit, id quod fieri posse haud credo, ut de subiecto id praedicetur, quod ipsius subiecti notioni contrarium est. Eodem iure Demosthenes Olynth. II, 19 pro *μέγας ηὐξήθη* putandus esset *ὁ μικρὸς μέγας ηὐξήθη* dicere potuisse, quod vix erit qui sibi persuadeat. Loco simillimo Euripidis Her. 575 haec leguntur: *καὶ δίδασκέ μοι τοιούσδε τούσδε παῖδας ἐς τὸ πᾶν σοφούς.* Vides, hoc tantummodo dici, quales discendo fieri Macaria pueros velit; multum autem abest, ut iidem et *ἀμαθεῖς* et *σοφοὶ μανθάνοντες* appellentur. Quae notiones quum una cogitatione

vix comprehendi possint, nescio an σοφοὶ delendum esse videatur. Accedit, ut servato σοφοὶ oppositio eorum, quae sophista paulo infra pag. 276 C. adiungit, mirum quantum debilitetur, deleto contra hoc vocabulo haec duo enuntiata οἱ ἀμαθεῖς ἄρα μανθάνουσιν ἀλλ' οὐχ οἱ σοφοὶ et οἱ σοφοὶ ἄρα μανθάνουσιν ἀλλ' οὐχ οἱ ἀμαθεῖς plane inter se opposita audientium animos vehementer commovere consentaneum sit.

Euthyd. 281 B. ἢ μᾶλλον ὀλίγα νοῦν ἔχων. Retinentibus nobis verba νοῦν ἔχων oppositio oritur ab hoc loco alienissima inter eum, qui multa imprudenter agat et eum, qui pauca prudenter. Ex iis verbis autem, quae statim sequuntur (οὐκ ἐλάττω πράττων ἐλάττω ἂν ἐξαμαρτάνοι;) luce clarius hoc Socratem velle apparet: Si quis imprudenter agit, melius est eum pauca agere quam multa. Huc tantum abest ut illa verba ullo modo quadrent, ut omnem nexum sententiarum tollant: nusquam enim infra de eo, qui pauca quidem sed ea prudenter agat, sermo est. Quod igitur Stallbaumius oppositionis rationem hoc additamentum requirere contendit, a vero videtur non mediocriter aberravisse. Neque enim is quem comparat locus 281 D. ἐὰν μὲν αὐτῶν ἡγῆται ἀμαθία μείζω κακὰ εἶναι — ἐὰν δὲ φρόνησις καὶ σοφία μείζω ἀγαθὰ huic, de quo nunc disputamus, comparari poterat, quum in illo per enuntiatum, quod paulo supra legitur ἆρ' οὖν — ἄνευ φρονήσεως καὶ σοφίας e. q. s. haec duo iam accurate significata essent, has res sine sapientia nullius esse pretii, moderante autem sapientia magni. — Iam Schleiermacherus qua erat ingenii acie illa verba νοῦν ἔχων ferri non posse sentiens νοῦν μὴ ἔχων emendaverat, quam emendationem e lectione Stephanianae editionis νοῦν δὲ ἔχων facile elici posse existimaret. Sed quum illud δὲ in nullo libro inveniatur, hoc relinquitur, ut etiam νοῦν ἔχων deleamus. Facile enim adducor ut haec verba a scriba addita esse credam, qui faciliorem et usitatiorem oppositionem videretur sibi restituere. Ipsam sententiam ut illud νοῦν ἔχων deleatur flagitare facilius tibi persuadebis comparato loco simillimo Euthyd. 280 E.

Euthyd. 286 E. οὐδ' ἄρα ἐκέλευον, ἔφη, ἐγὼ νῦν δή, ὁ Διονυσόδωρος, ἐξελέγξαι· τὸ γὰρ μὴ ὂν πῶς ἄν τις κελεύσαι; Ὦ Εὐθύδημε, ἦν δ' ἐγώ, τὰ σοφὰ et q. s. Haec est lectio vulgata: quam ego quidem propterea ferendam non esse censeo, quia fieri posse non puto, ut Dionysodorus, quamvis sit impudentissimus sophista, ea infitietur, quae ipse modo dixerit. Neque magis Euthydemus 'fratri laboranti succurrens' ea, quae modo dicta ideoque in omnium memoria essent, facta dictave esse negare poterat. Quae quum ita sint, etiam illius lectio reprobanda est, qui in Bipontina Ficini interpretationem sic mutavit: 'nec illud Dionysodorus iussit ut refelleres': nimirum ille hanc orationem Euthydemo tribuisse omissisque ἔφη et ἐγὼ putandus est scripsisse ἐκέλευεν. Multo melius C. Fr. Hermannus ea qua est sagacitate parva emendatione adhibita sic locum restituit e Bodleiano: οὐδ' ἄρα ἐκέλευεν, ἔφην ἐγώ, νῦν δὴ Διονυσόδωρος ἐξελέγξαι; Τὸ γὰρ μὴ ὂν πῶς ἄν τις κελεύσαι; σὺ δὲ κελεύεις; Ὅτι, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Εὐθύδημε,

τὰ σοφὰ seqq. Quam emendationem deinde his verbis explicavit: 'Reprehenso a Socrate Dionysodoro, qui refelli se iusserit, quum nemo omnino falsa dicere possit, Euthydemus, ut fratri laboranti succurrat, refelli utique posse negat iamque ipse a Socrate rogatus, annon id ipsum modo Dionysodorus iusserit, assueta sophistarum impudentia: id quod non est, inquit, quomodo quis iubeat? an tu iubes? Cui Socrates: nempe iubeo, quia argutias vestras non intelligo, sed interrogando doceri a vobis cupio.' Vides eandem difficultatem remanere, quae in Bipontina interpretatione displicebat: fieri posse negabamus, ut Euthydemus infitiaretur Dionysodorum postulasse, ut refutaretur. Atqui hoc quod negari nequit negaret, si Hermanno auctore haec verba *Τὸ γὰρ — κελεύεις* Euthydemo tribueremus. Sed accedunt ad eam difficultatem, quae Hermannianae emendationi cum Bipontina interpretatione et si quaeris etiam cum Vulgata communis est, duae huic Hermanni lectioni propriae. Primum enim displicet, quod nusquam vocabulo *ἔφη* vel simili verbo indicatum est, illa verba *τὸ γὰρ — κελεύεις* Euthydemo tribuenda esse. Deinde autem neque illa quaestio *σὺ δὲ κελεύεις;* neque id quod respondetur quadrare videtur, quum Socrates nusquam se refelli iubeat, sed hoc solum, id quod Hermannus ipse rectissime animadvertit, agere se simulet, ut interrogando ab illis doceatur. Quum igitur ne in Hermanni quidem emendatione acquiescere posse mihi videar, hanc loci constitutionem proponere ausim: *οὐδ' ἄρα ἐκέλευεν, ἔφην ἐγώ, νῦν δὴ Διονυσόδωρος ἐξελέγξαι· τὸ γὰρ μὴ ὂν πῶς ἄν τις κελεύσαι; Ὦ Εὐθύδημε, ἦν δ' ἐγώ, τὰ σοφὰ* et quae sequuntur. Haec lectio mixta est ex Hermanni coniectura *ἐκέλευεν ἔφην* scribentis pro *ἐκέλευον ἔφη* et ex Vulgata. Consideranti autem mihi quid sit quod hic dici oporteat non solum posteriora verba, sed etiam illud ipsum enuntiatum, quod Hermanni acumine emendatum est, aliter atque ille fecit videtur esse explicandum. Quid multa? Ego quidem totam hanc orationem Socrati tribuo eiusque hanc esse sententiam arbitror: primum enuntiatum *οὐδ' ἄρα — ἐξελέγξαι* non est interrogantis, sed lepidissima cum ironia hoc dicit Socrates: Quodsi refelli utique non posse concedis, sine dubio male audiveram, quum Dionysodorum refutationem postulare crederem. Sine dubio inquit erraveram: quis enim postulaverit, quae fieri ipse fatetur non posse? Deinde his argutiis, quas non intelligat, omissis *φορτικώτερόν τι* ex illis se quaerere velle ostendit. Ac ne quis in media eiusdem personae oratione *ἦν δ' ἐγὼ* positum miretur: id saepe fieri consentaneum est, praesertim ubi oratio subito ad certam personam convertitur. Qua de re conferre poteris paulo infra pag. 288 A. 290 D. 304 B.

Menon. 78 A. *τί γὰρ ἄλλο ἐστὶν ἄθλιον εἶναι ἢ ἐπιθυμεῖν τε τῶν κακῶν καὶ κτᾶσθαι;* Socrates expositurus neminem mala appetere, quia mala homines miseros reddant nemoque miseriam concupiscat, totam hanc quaestionem eo enuntiato, quod modo exscripsi, quasi complectitur. Sententia huius enuntiati haec est: Quid enim aliud est miserum esse quam mala appetere et sibi parare? Sed haec esset definitio notionis *ἄθλιος,* quae vereor

ut huc quadret. Nam quum Socrates quemquam mala appetere negavisset, non poterat adiicere miseriam contineri appetitione malorum. Quod si adderet, necessario sequeretur, ut nemo esset ἄθλιος. Hoc Socratem nolle nemo est quin facile intelligat. Ac mihi quidem omnino non hoc agere videtur, ut quid ἄθλιον εἶναι sit definiat, sed ut quid sit ἐπιθυμεῖν κακῶν explanet. Hoc igitur, quod posteriore loco posui, subiectum fiat necesse est. Itaque nescio an sic locus emendari queat: τί γάρ; ἄλλο ἐστὶν ἄθλιον εἶναι ἐπιθυμεῖν τε τῶν κακῶν καὶ κτᾶσθαι; Vocabulum ἄλλο ellipticum illud esse arbitror, quo saepissime Platonem uti constat. Cui vocabulo quamvis τὶ addi soleat, tamen contemplanti mihi tales locos qualis est Timaei pag. 30 A. δρᾶν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον haud dubium videtur quin etiam deesse hoc additamentum possit. Haec igitur existeret sententia: Nemo mala appetet, nisi miser esse voluerit. Quid enim? Nonne mala appetere ea vera miseria est? Quodsi quis illud ἄλλο addito τὶ carere non posse putans propterea eam, quam proposuimus, lectionem non accipiendam putaverit, eum vocabulo ἢ transposito sic legere necesse est: τί γὰρ ἄλλο ἐστὶν ἢ ἄθλιον εἶναι ἐπιθυμεῖν seqq. Necesse est inquam: utcumque enim locum mutare voles, mutandus utique est, quum totus orationis ordo ut ἐπιθυμεῖν subiectum fiat poscere videatur.

Menon. 78 D. εἶεν. χρυσίον δὲ δὴ et q. s. Vocabulum εἶεν Platonem saepe ita ponere constat, ut illud enuntiatum quod sequitur particulis δὲ δὴ annectatur. At nisi me fallit hoc ita fieri observavi, ut antecedens oratio vocabulo εἶεν finiatur et quasi abrumpatur, illis autem particulis δὲ δὴ ad novam et quodammodo oppositam rem scriptor transgrediatur. Sic quidem res se habet Protag. 311 D. 312 E. Menon. 75 C. Gorg. 472 D. 496 D. Apol. 36 B. neque dubito, quin fere eadem sit huius locutionis vis atque illius, qua Euthyphr. 13 D. usus est Plato (ἀλλὰ — δή), nisi quod hoc paulo fortius esse apparet. Sed eo loco, de quo agimus, tantum abest ut ulla sit oppositio, ut Socrates acerba cum ironia eadem repetat, quae Meno in antecedentibus concesserat: aurum igitur, inquit, parare virtus est. Quam ob rem δὲ quamvis omnium librorum auctoritate munitum videtur delendum esse.

Menon. 94 C. ἵνα δὲ μὴ ὀλίγους οἴῃ καὶ τοὺς φαυλοτάτους et q. s. Si φαυλοτάτους eos dici putemus, qui genere auctoritate divitiis gloria infimi sint, iure sane Schleiermacherus quomodo tale quid de Themistocle Aristide Pericle dici potuerit se intelligere negavit. Nam quod Stallbaumius haec 'universe dicta esse contendit neque sic ut virorum clarissimorum ratio ducatur, quorum mentio antea facta sit': fateor me non videre, quomodo fieri potuerit, ut Plato quum Thucydidis nomen adiungeret eorum, quos modo commemoravisset, immemor esset. Itaque vereor ne φαυλοτάτους hoc loco idem fere significet quod Protag. 327 C., ubi ἀγαθὸς αὐλητὴς opponitur φαύλῳ, bonus tibicen non ita perito. Forsitan inquit paucis his exemplis nihil comprobari dixeris, quia fieri potuerit, ut viri ceteroquin optimi et laudatissimi in educandis liberis non modo

minus excellerent, sed nihil consequerentur. Propterea quartum exemplum addit Thucydidis. Et finge inquit (ἀλλὰ γὰρ ἴσως ὁ Θουκυδίδης φαῦλος ἦν) etiam Thucydidem, virum principem, non potuisse docere filios suos, id quod incredibile dictu videtur fingique vix potest: certe amicos habuit per totam Graeciam, qui eum in educatione filiorum adiuturi fuissent, si virtus omnino doceri posset.

Ion. 538 D. σκέψαι δὴ σοῦ ἐρομένου εἰ ἔροιό με — σκέψαι. Quamvis quin hic locus talis qualis nunc circumfertur a manu Platonis prodire potuerit dubitari nequeat, tamen has locutiones ita copulatas cumulatasque habere aliquid miri quivis concesserit. Scilicet librarius, qui σοῦ ἐρομένου cum imperativo σκέψαι coniungi non posse existimaret, id quod ipsi rectius se habere videbatur ad locum vel explicandum vel emendandum adscripsit.

Phaedr. 230 B. καὶ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης. Vocabulum ὡς alii aliter explicaverunt. Schleiermacherus locum sic interpretans: 'und so steht es in voller Blüthe, dass es den Ort mit Wohlgeruechen erfüllt' ὥς habuisse putandus est. Astius et Stallbaumius ὡς idem esse confirmant atque ὅτι οὕτως, 'ut appareat post καὶ intelligendum relinqui τοῦτο πάγκαλόν ἐστιν'. Mihi quidem simplicior videtur esse ratio huius enuntiati. Ὡς enim exclamantis esse censeo sicut in iis quae sequuntur: τὸ εὔπνουν τοῦ τόπου ὡς ἀγαπητόν. Itaque sic fere hunc locum reddiderim vernaculo sermone: denn die Platane ist breit und hoch und der Schatten des Gestraeuches gar schoen; und wie es gerade in Blüthe steht!

Phaedr. 235 A. τοῦτο δὲ οὐδὲ αὐτὸν ᾤμην Λυσίαν οἴεσθαι ἱκανὸν εἶναι. Interpretes quo τοῦτο pertineat ambigunt. Ego quidem hoc pronomen accusativum graecum esse puto et eum ab ἱκανὸν pendentem: sic de Rep. 7, 540 C. ὅσαι ἂν αὐτῶν ἱκαναὶ τὰς φύσεις ἐγγίγνωνται. Etenim quum Phaedrus Socratem etiam de argumento orationis iudicium facere iussisset, is se ad solam artem oratoriam animum attendisse simulat: in ipsis enim inquit rebus (τοῦτο), de quibus orator loquitur, ipsum Lysiam non adeo sibi placere existimabam. Itaque τοῦτο ad antecedentia referendum est totoque enuntiato declaratur sententia Socratis, in qua se fuisse contendit, antequam a Phaedro moneretur, etiam res, quae oratione Lysiae continerentur, laude dignas esse.

Phaedr. 235 D. τῶν ἐν τῷ βιβλίῳ βελτίω τε καὶ μὴ ἐλάττω ἑτέρα ὑποσχέσει εἰπεῖν. Hanc lectionem ut non ferendam esse omnes interpretes consentiunt, sic in emendando loco alii aliam viam ingressi sunt. Wexius ἕτερα ὑπόσχες coniecit scribendum esse eamque emendationem Hermannus in textum recepit. Ego etiam faciliorem et quae propius a librorum lectione abesset videor mihi invenisse: ἕτερα ὑπέσχησαι. Promisit enim Socrates supra pag. 235 C., ubi: Videor mihi inquit res aeque bonas proferre posse: αἰσθάνομαι ἂν ἔχειν εἰπεῖν ἕτερα μὴ χείρω. Etiam ea, quae sequuntur, καί σοι ἐγὼ ὑπισχνοῦμαι melius cum ὑπέσχησαι quam cum ὑπόσχες concordare arbitror. Formae

autem *ὑπέσχησαι* plane eadem vis est in loco simillimo Xenoph. Oec. 9, 1. *νῦν τοι ἔφη ἐγώ σε οὐκέτι ἀφήσω, πρὶν ἄν μοι ἃ ὑπέσχησαι — ἀποδείξῃς.*

Phaedr. 244 D. *ἔν τισι τῶν γενῶν.* Lobeckius in Aglaoph. tom. 1 pag. 636 haec verba ita explicat, ut comparato loco Pausaniae 9, 5 de quibusdam hominibus eiusdem generis sermonem esse confirmet, quia 'vis tacita avitae noxae non omnes eiusdem generis homines aequaliter affectet, sed modo intermittat modo recrudescat.' Sed multo facilius haec verba 'in quibusdam gentibus' reddideris, quum nonnullas tantum, non omnes gentes avita noxa exagitari constet.

Phaedr. 245 B. *δεδιττόμενος.* Stallbaumius Heindorfii opinionem secutus 'verbum aliquod ostendendi et probandi potestate positum' desiderat, quod respondeat sequentibus *ἀλλὰ τόδε — δείξας*: adiicere poterat, se verbum desiderare, ex quo illud enuntiatum *ὡς πρὸ — δεῖ προαιρεῖσθαι* penderet. Itaque *ἐπιδεικνύμενος* scribendum esse suspicabatur. Sed non opus est correctione; namque *δεδίττεσθαι* esse posse 'terrendo inculcare' vix erit qui negaverit.

Phaedr. 260 C. *μὴ περὶ ὄνου σκιᾶς ὡς ἵππου.* Fabulam illam de asini umbra, quam Demosthenes iudicibus aliud agentibus narravisse traditur in quaque exponenda ad hunc locum scholiasta multus est, nemo est qui ignoret. Neque hoc a veritate abhorret, quod *ὄνου σκιὰν* rem nihili significare posse confirmant. Itaque Socrates deleto *ὡς ἵππου* dicere poterat *μὴ περὶ ὄνου σκιᾶς ἔπαινον ποιούμενος, ἀλλὰ* seqq., quo facto oppositio orta esset inter rem nullius pretii interque gravissimam. Retinentibus autem nobis *ὡς ἵππου*, quod facere non possumus quin retineamus, illud *σκιᾶς* sine dubitatione delendum erit. Quid enim? Socrates quum in eadem cogitatione qua antea maneat et de homine, quem equum et asinum confundentem finxerat, loquatur, nullus omnino locus est umbrae asini. Itaque Heindorfio *σκιᾶς* delenti utique assentior.

Phaedr. 269 A. *τί δὲ τὸν μελίγηρυν Ἄδραστον.* Astio et Stallbaumio si credideris, non de ipso Adrasto, sed de Antiphonte Rhamnusio, cuius Socrates in Menex. pag. 236 mentionem fecit, sermonem esse tibi persuadebis. Sed mihi illud multo facilius videtur. Illius enim loci pag. 261 C., quem Schleiermacherus confert, longe alia ratio est, quum illic veterum heroum nominibus alios designari aperte indicetur. Sed ad Adrastum redeo. Primum igitur Tyrtaei fragm. 9, 8. Bergk. *οὐδ' εἰ Ταντα λίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη, γλῶσσαν δ' Ἀδρήστου μειλιχόγηρυν ἔχοι,* quem versum Platonem in mente habuisse verisimile est, ad ipsum Adrastum nos relegat. Deinde Euripidis Supplicibus actis, quam tragoediam anno quarto Olymp. LXXXIX datam esse Boeckhius et G. Hermannus uno ore confirmant, Adrasti persona notior facta esse poterat. In ea autem tragoedia Adrastum facundissimi oratoris personam agere nemo non videt. Denique ne Adrastum cum Pericle compositum non ferendum putes, etiam infra pag. 278 C. Lysiam Homerum Solonem simili modo iungi memineris. Contra quomodo Adrastus pro

Antiphonte dici potuerit difficile est ad intelligendum. An hoc tibi sufficere videtur, quod Antiphon tanta excelluisse oris suavitate traditur, ut quemadmodum Adrastus *μελίγηρυς* sic ille propter *μέλιτος γλυκίονα αὐδὴν* Nestor appellaretur?

Phaedr. 262 C. *βούλει οὖν — ἰδεῖν τι ὧν φαμεν ἄτεχνόν τε καὶ ἔντεχνον εἶναι.* Sic codices ad unum omnes. Quam lectionem quum ferendam non esse videret, Heindorfius *ἀτέχνων τε καὶ ἐντέχνων* correxit eumque et Turicenses et Hermannus secuti sunt. Sed hoc si scripseris, nondum ea quam poscimus sententia oritur. Non enim aliquid eorum quaerendum est, quae artificiose vel sine arte dicta sunt, sed quid omnino bene vel minus bene dictum sit enucleandum videtur. Itaque vide an sic locus sit restituendus: *βούλει οὖν — ἰδεῖν τί φαμεν ἀτεχνόν τε καὶ ἔντεχνον εἶναι*: visne videamus in oratione Lysiae et in nostris, quid artificiose et quid sine arte dictum esse iudicemus? Sic paulo infra pag. 262 E. *τί δὴ οὖν οὗτος ἁμαρτάνει καὶ ἄτεχνον ποιεῖ λεκτέον.*

Phaedr. 267 B. *εὑρηκέναι ἔφη ὧν δεῖ λόγων τέχνην.* Hanc lectionem, quam omnes fere codices tuentur, retinere equidem non dubito. Quodsi quis duriorem constructionem querens mutare velit, mutatio multo Stephaniana facilior se obtulerit. Legi enim posset *τέχνῃ* idque cum interpretatione Ficini conveniret sic interpretantis: 'invenisse asseruit, quibus verbis illa ars indigeat.' Sed ut iam dixi mutatione non opus est.

Menex. 239 D. *δεῖ δὴ αὐτὴν ἰδεῖν.* Coniectura Stallbaumii *εἰπεῖν* scribendum esse suspicantis facile caremus, sic loco reddito: necesse est contempleris virtutem. *ἰδεῖν* enim de iis rebus, quae non oculis sed mente cernuntur, tam saepe dicitur, ut exempla afferre non attineat.

Menex. 243 A. *ὧν οἱ ἐχθροὶ καὶ προςπολεμήσαντες πλείω ἔπαινον ἔχουσι σωφροσύνης καὶ ἀρετῆς ἢ τῶν ἄλλων οἱ φίλοι.* Adeo Stallbaumius de hoc loco desperaverat, ut totum hoc comma tanquam alienae manus additamentum abiiciendum esse censeret. Iniuria, ut mihi quidem videtur. Non abiiciendus est locus, imo vero sanissimus; sed una locutio paulo insolentior ab usuque remotior sententiae ceteroquin clarissimae et aptissimae obscuritatem et tenebras obduxit. Hoc enim oratorem velle existimo: Infelices erant Athenienses: sed horum constantia et virtus ab hostibus magis laudatae sunt quam aliorum ab amicis. Vides, me *ἔπαινον ἔχειν*, quod solet significare laudem habere, laudari (sic Symp. 177 B. *ἐνῆσαν ἅλες ἔπαινον θαυμάσιον ἔχοντες*), hoc loco transitive dictum credere, ut fere idem sit ac laudare. Cuius usus exemplum quamvis non habeam in promptu, tamen utramque significationem cadere in hanc locutionem sponte patet. Neque alienum fuerit a re duos Sophoclis locos attulisse Phil. 1308 Herm. *κοὐκ ἔσθ' ὅτου ὀργὴν ἔχοις ἂν οὐδὲ μέμψιν εἰς ἐμέ.* Ai. 180 *μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορός.* Eodem iure quo *μέμψιν* seu *μομφὰν ἔχειν τινὸς* dicatur etiam *ἔπαινον ἔχειν τινὸς* active dici posse vix erit qui negaverit. Sententia autem existit aptissima. Quid enim? Si cuius virtutem etiam ab inimicis agnosci confirmo, satis magna laus est:

quodsi illum magis ab adversariis laudari addiderim, quam omnes alios (id enim est *τῶν ἄλλων* neque de Atheniensium tantummodo adversariis, qui erant in illo bello, cogitandum) ab amicis, ea profecto tanta laus est, nihil ut supra fieri posse videatur. Nam qui ab hostibus, qui adversariis invidere eorumque virtutes detrectare soleant, magis laudatur quam alii ab amicis, qui etiam augere laudem amici ament, eius sine ullo dubio summa laus est. Itaque hic fere idem indicatur, quod paulo infra pag. 243 C. vocabulis *ὁμολογουμένως ἄριστοι* orator expressit: 'quos omnes optimos fortissimosque evasisse consentiunt.'

Lys. 204 B. *αὐτοῦ πρῶτον ἡδέως ἀκούσαιμι ἄν.* Stallbaumio cave credas vocabulum *αὐτοῦ* subtilius quam verius explicanti, cuius vocabuli vim Schleiermacherus iam recte perceperat. Etenim *αὐτοῦ* hoc loco sine dubio adverbium est nihilque aliud quam hic significat. Hippothales quum ex Socrate quaesivisset, num intrare vellet, hic: priusquam vos sequar, inquit, audire velim hic loci, quis sit pulcherrimus. Longiore inde colloquio orto infra demum (pag. 206 D. *καὶ ἅμα λαβὼν τὸν Κτήσιππον προςήειν εἰς τὴν παλαίστραν*) in palaestram intrasse narrantur, ut totum hoc colloquium extra palaestram eodem loco, quo constitissent, factum esse appareat. Similis est ratio loci de Rep. 1, 327: *ἢ τοίνυν τούτων ἔφη κρείττους γένεσθε ἢ μένετ' αὐτοῦ.*

Hipp. Mai. 283. A. *τῶν γὰρ προτέρων περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον.* Heindorfius primus *Ἀναξαγόρου* omisit, mox Bekkerus *περὶ Ἀναξαγόρου*, postremo Stallbaumius *περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται* secluserunt. Ut etiam *λέγεται* omitteret hac re se adductum esse ait Stallbaumius, quod quum *κατὰ τὸν σὸν λόγον* sequeretur idem non bis dicendum existimaret. At *κατὰ τὸν σὸν λόγον* longe aliud significat: latine dixeris 'te iudice'. Magna est inquit Anaxagorae quae narratur dementia, si te audimus. Itaque hoc certe vocabulum sine dubio retinendum est. Sed ne hoc quidem opus esse videtur, ut verba *περὶ Ἀναξαγόρου* deleamus, quae pro glossemate habere Hermannus iure dubitavit. Forsitan scribendum sit: *τῶν γὰρ προτέρων τῶν περὶ Ἀναξαγόραν.* Cuius locutionis usus quam late pateat in vulgus notum est. Et hoc quidem loco hoc non ut saepe fit de solo Anaxagora, sed etiam de discipulis aequalibusque eius dictum putandum erit. Nam in iis, quae sequuntur ipsius Anaxagorae exemplo allato additur: *λέγουσι δὲ καὶ περὶ ἄλλων τῶν παλαιῶν ἕτερα τοιαῦτα,* quae verba quominus de sodalibus discipulisque Anaxagorae dici putemus nihil est quod impediat.

Hipp. Mai. 294 A. *ἔμοιγε δοκεῖ.* Stallbaumio quum locus perobscurus et impeditus esse videretur ad coniecturam confugere placuit: at mihi quidem utique sanus videtur. Etenim Hippias quum quid respondeat non habeat, de industria deditaque opera ita respondere existimandus est, ut quid ex tribus illis, quae Solon proposuerat, dicat, in medio relinquat. Quod ubi Socrates animadvertit, denuo interrogaturus erat: utrum id

dicis, quod facit ut videatur, an id, quod efficit ut sit, an neutrum? Sed huius interrogationis solum primum membrum diserte exprimit, reliqua liberius tractaturus.

Hipp. Mai. 301 C. *ἃ διανοούμεθα.* Sic omnes libri praeter unum Angelicum v, qui *διενοούμεθα* habet. Atqui Socrates sibi nunc ab Hippia aliter persuasum esse simulat. Itaque non quid sentiat, sed quid senserit indicaturus est. Hoc ita esse vel ex iis, quae proxime sequuntur, discere licet: *ἡμεῖς γὰρ — οὕτως ἀβέλτεροι ἦμεν πρὶν σε ταῦτ' εἰπεῖν.* Itaque recte fecerunt Hermannus et Turicenses, quod *διενοούμεθα* etiam contra plurimorum codicum consensum receperunt.

Hipp. Min. 364 A. *καλόν γε λέγεις, ὦ Ἱππία, καὶ τῇ Ἠλείων πόλει τῆς σοφίας ἀνάθημα τὴν δόξαν εἶναι τὴν σὴν καὶ τοῖς γονεῦσι τοῖς σοῖς.* Stallbaumius: 'infinitivus inquit e *λέγεις* denuo intelligendo illo suspensus est.' Imo vero *καλὸν* cum *ἀνάθημα* coniungendum et *καὶ — καὶ* latine et — et reddendum esse patet. Sic iam Schleiermacherus locum recte interpretatus erat.

Lach. 190 E. *ἀλλ' ἴσως ἐγὼ αἴτιος — τὸ σὲ ἀποκρίνασθαι μὴ τοῦτο.* Hic accusativus infinitivi addito articulo cum adiectivo *αἴτιος* copulatus vereor ut ferri possit. Similis quidem ratio loci est Crit. 43 C. *αὐτοὺς ἐπιλύεται τὸ μὴ οὐχὶ ἀγανακτεῖν,* sed tamen non eadem. Itaque nescio an aut *τοῦ* corrigendum sit (sicut Charm. 156 E. *τοῦτο καὶ αἴτιον εἴη τοῦ διαφεύγειν*) aut *τὸ* delendum, sicut paulo infra habemus pag. 191 C. *ἐγὼ αἴτιος μὴ καλῶς σε ἀποκρίνασθαι.*

Charm. 160 E. *ἆρ' οὖν ἂν εἴη ἀγαθόν, ὃ μὴ ἀγαθοὺς ἀπεργάζεται;* Hoc agit Socrates, ut Homeri auctoritate, qui pudorem pauperi malum esse dixerit, nisus Charmidem refellat. Hic enim *σωφροσύνην* pudorem esse affirmaverat. Itaque rem ita instituit, ut *σωφροσύνην* semper bonum hominibus esse demonstret. Hac enim re demonstrata pudorem, qui modo bonum modo malum sit, *σωφροσύνην* esse non posse apparet. Itaque primum interrogat, num qui temperantes iidem etiam boni iudicandi sint, et postquam hoc ab illo concessum est, conclusione ab effecto ad efficiens facto ipsam quoque temperantiam bonum esse comprobat. Sic oportebat conclusionem procedere: sed id quod nunc circumfertur *ἆρ' οὖν ἂν εἴη ἀγαθόν, ὃ μὴ ἀγαθοὺς ἀπεργάζεται* paene contrariam sententiam praebet. Hoc enim si recte se haberet, haec sententia esset: id quod homines non reddit bonos ne ipse quidem bonum esse potest. Hoc, quum iam sumtum vel datum sit temperantes esse bonos, omnino quadrare non videtur. Quae si recte disputata sunt, coniectura remedium quaerere cogemur. Fortasse scribendum: *ἆρ' οὖν οὐκ ἂν εἴη ἀγαθόν, ὃ ἀγαθοὺς ἀπεργάζεται;* Sic quidem oratio recte procederet:

S. Nonne etiam boni sunt temperantes?

Ch. Sunt.

S. Atqui opinor fieri non potest, quin id quod bonos facit ipsum bonum sit (conf. Cic. Parad. 1, 3).

Ch. Non potest.

S. Ergo non solum pulchrum quid sed etiam bonum est temperantia. Homero autem credendum erit, qui pudorem omnibus ubique bonum esse negavit. Ergo temperantia, quam demonstravimus semper bonum esse, pudor esse nequit, qui identidem malum est.

Charm. 167 A. *καὶ τί αὐτὸς οἴεται* seqq. Hanc codicum lectionem quum editores ferendam non esse iure iudicarent alii alio modo mutaverunt. Ac mihi quidem facillimum videtur scribere: *καὶ τί αὐτὸς οἴεται*, ut haec sententia existat: temperantis est cognitum habere quid quisque sciat et quid idem scire sibi videatur, re vera autem nesciat. Rariorem hanc crasim esse non ignoro: quo facilius fieri potuit, ut librarii in ea offenderent.

Criton. 47 C. *τιμήσας δὲ τοὺς τῶν πολλῶν λόγους. λόγους*, quod optime antecedentibus *τὴν δόξαν καὶ τοὺς ἐπαίνους* respondet, quum Clarkiani Veneti *Π* Vindobonensis *Φ* denique Huetiani *Ψ* auctoritate muniatur, non satis perspicio cur exterminandum esse videatur. Quod enim glossatoris additamentum *λόγους* esse dicunt, eiusmodi hominem potius *ἐπαίνους* repetiturum fuisse suspicor.